



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola  
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv  
Ad Patrem

**Bosquier, Philippe**

**Moguntiae ; Coloniae, 1615**

X.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

fideles milites fortes, & strenui pro Christo Iesu, & civitate Dei. *Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliasset.* Deus omnibus nobis hanc faciat gratiam, Amen.

CONCIO DECIMA.

- 7. *Ei: εἰς τὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε.*
- 7. *In se autem reuersus, dixit.*
- 7. *Quumque ad se redisset, ait.*

*Græca.*  
*Vulgata.*  
*Syriaca.*

ARGVMENTVM.

- Dicemus hodie.
- 1. *Duas habemus imperfectiones, Diuina constantia contrarias, qua in Prodigio nostro non fuerunt.*
  - 2. *Duo requisita ad faciendam poenitentiam, qua in nostro fuerunt Prodigio.*
  - 3. *Virum aliquando liceat deserere patres.*

A V E.

I.

*Duas habemus imperfectiones, diuina constantia contrarias, qua in nostro Prodigio non fuerunt.*



**N**EMO opinor Charissimi adeo rudis, adeo nouus in disciplina morali est discipulus, qui ignoret virtutem medium tenere inter duo extrema, ex diametro opposita, & quod nihilominus affinitas & cognatio quædam sit inter extrema ista & medium. Duo dixi: mediocritatē & cognationē seu affinitatem. Pro mediocritate videte quid adferā. Horat. Ep. 18. lib. 1. *Virtus est medium vitiorum, & vniq; redactum. Sic Aristoteles virtutes omnes dicit esse mediocritates, & (ut ita dicā) medietates.* Arist. lib. 1. Mag. moral. c. 24. *Virtus est habitus animi iudicio susceptus in mediocritate positus, ea qua nos attingit, rationeq; sic definita, ut prudens prescripserit q. d. quia mediocritas quoad nos incerta esse potest, volo eam à Prudente tanquam à regula prescribi.*

Ibi

Ibidem.] *In definitione virtutis, qua quid sit rei mediocritas intelligitur. In medio consistit virtus.*

Cicero 2. de Inuent.] *Virtus est animi habitus, natura moderatione consentaneus.*

Idem lib. 1. Offic.] *In vestitu, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est.*

Teren. in Andr. Act. 1. Scen. 1. Sim. senex filiū Philum à mediocritate laudat.] *Quod plerique omnes faciunt Adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut a Philosophos (sc. animum adplicare:) Horum ille mihi egregie prater cetera studebat, & tamen omnia hac mediocriter gaudebam. Sofia autem seruus eius, etiam commendat illam in omnibus auream mediocritatem, ibidem nam id arbitror (inquit)*

*Adprime in vita est utile, ne quid nimis*

*(quod Chilonis dictum fuit, in templo Apollinis*

*Adijcies:) nequid parum: nimium enim penes excessum, parum vero penes defectum, sunt extrema vitiosa mediocritatis. Videte rationem. Omnis virtus hinc inde duobus comitata est vitiis, quasi ad dexteram levamque plane sibi contrariis, & pari quasi spatio ab illa distantibus, ut (exempli gratia) liberalitas media est inter avaritiam & prodigalitate, clementia inter crudelitatem & segnitiam, inter nimium & parum, inter totum & nihil, excessum & defectum. Quantum ad cognationem & affinitatem virtutis cum vitiis collateralibus, illa nota est; quia utrimque aliquid participat. Liberalitas enim hoc habet ab avaritia, quod prudenter, aut totum aut aliquid petenti denegat, respectu habito vel temporis, vel meritorum, vel conditionis, vel necessitatis eius qui recipit, & eius qui donat. Avaritia totum denegat omnibus, & semper, sine villo respectu. A prodigalitate hoc habet, quod pluribus donet, & satis largiter, cum prodigalitas donet omnibus omnia, & quasi totum semel, sine vlla discretionem. Liberalitas, per avaritię affinitatem, non nimium nec nimis sæpe largitur. Per cognationem prodigalitati suę quantum satis est, honeste distribuit*

buit. Quis ignorat alia donari ab Alexandro, alia ab opifice, & Scribas ac Pharisaeos non duos tantum obolos in gazophilacium templi iniecisse; munus hoc erat viduæ pauperculæ. Quis ignorat liberalius dandum Lazaro, plane inopi ac nudo, quam alteri semi vestito, & variegatis operto centonibus, famenti instar lupi, qui longa pene extinctus inedia, riget frigore, & animam inter digitos halat semimortuam, villos confoueat; vlceribus à planta pedis vsque ad verticem obsitus, radens testa saniem, ac vlcerum suorum crustas, vt miser aliquis Iob in sterquilinio, quem integer calcat sextipedum exercitus, incedens per turmas & ordines suos, quam communi alicui & obuiuo pauperi, qui sibi soli sollicitus est, si quis velit habere nomen liberalis. Quis ignorat liberalitatis nomē non perdi, & notam auaritiæ incurri; quia quis recusat agmen ducere otiosorum, muscarum tabernariorum, præreptorum & interuersorum bonorum pauperum; dare ac negare tempore suo hominem facit liberalem; non dare omnibus, & nihil recusare. Sic ad clementiam pertinet illa seueritas, quæ aliquando cristas erigat, vngues dentesque ostendat, vt appareat Rex non frustra accinctus gladio. *Non sine causa gladium portat, ad vindictam malefactorum.*

Sic etiam illa remissio, quæ non indiscrete omnibus, sed certis ac suo tempore impenditur, *parcere subiectis & debellare superbos*, ignoscere subiugatis, & *Virg. 6. Æneid.* exa matris, rebus publicis, ac cadentibus & lapsis per ignorantiam, aut venia dignis propter antiqua merita. Sed quorsum hæc tam alte repetita oratio? Vt ostendam homines appellari non posse constantes (hoc enim Dei proprium esse monstraui ante. *Ego Deus & non mutor: omne consilium meum stabit, &c.*) Constantes non censentur, quia modum non seruāt & medium in iudiciis, in dictis, in factis, fere habentes *nimum*, aut *parum*; pertinaces, ac obstinati etiam in malis, & æternam concernentibus salutem: aut rursus nimia leuitate ac volubilitate animi, in actu oculi, & versa quasi manu, toties fidem mutan-

tes & propositum, quoties chameleon colores, & paucis diebus, imo horis, centies variant, ex ciuitate Dei ad ciuitatem Diaboli, deserunt virtutes, & ut infidiosi sponsas repudiant, & in contraria vitia affectum transferunt, non secus ac iuenculi in meretriculas. Quantum absumus a constantia; qui hodie baptismo Christi, & sanguine loti, cras iterum in sordescimus, & tanquam impudētia scorta, in peccatorum nostrorum stercore vlutamur. Hodie confessi ac denuo mundati, cum emendationis proposito, ac promissione; vix à sacerdote recedimus, & iterum in eadem incidimus; ut pueri qui are lauantur, in cloacas, in cineres, in cœnum, in sordes consuetas. Qui hodie per confessionem noxios eiecimus humores, ex conscientia stomacho; illico ut canes, sine vlla nausea, aut animi auersione, vomitū nostrum relambimus.

2. Pet. 2.] *Contigit et illud veri prouerbij: canis reuersus ad suum vomitum: & sus lota in volutabro luti.*

Quomodo constantes dici possumus, qui heri repulso & abiurato, quem semper nobis insidiari scimus, Diabolo: hodie eidem iterum sociamur, hospitium damus, & seruius abiectissime? Quem heri tyrannum diximus, non Principem sed inuasorem mundi, ei hodie iterū fauimus, partes ipsius & studia augemus, deserentes denuo Deum quem vocare consueuimus *optimum, maximū*. Cui in baptismo Chirographum dedimus, solenne fidelitatis sacramētum prestitimus, fugimus iterū tanquam tyrannum sceleratū, & omnes vires, omnia arma contra voluntatem eius intendimus. Heu humanam inconstantiam! *Varium & mutabile semper arbitrium humanum*. Magna profecto instabilitas; vitam ordiri bonam, & tam cito male perdere, male claudere. *Cum adhuc ordier, succidit me*. Magna mutabilitas, hodie peccatum detestari, cras iterum obsecundare; intolerabilis leuitas, hodie obsequi vilituti, cras eandem execrari, & quasi de probitate sua pœnitere.

\*Sed hæc inconstantia humana tolerabilis aliquo modo, fragiliores enim sumus vitro, ossibus, carne

que cōpacti. *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & ecce, qui seruiunt ei non sunt stabiles: quanto magis hi qui habitant domos luteas?* Iob. 4.

Spiritus promptus & alacer, caro infirma & deses; spiritus alæ nos in altum eleuant sed nostri corporis laxum, quod ex pedibus dependet, cito velatum nostrum deprimit, & vix sensim per terram reperere permittit. Oportunitates sunt commodæ, vela, remi, bona: sed leni torpidiq; remiges. At hoc deterius, quod cum in bono adeo varij, in malo uulsi sumus obstinaciores, capiti osiores rhedarum clavis, capistrati semel admissio freno, nihil nisi illud mordemus, atque excutimus. Redditi vero Diaboli ciuitati, ac syragogæ Satanæ, nunquam aut admodum tarde eximus, nec vnquam fere serio tanquam permansuri, per poenitentiam ad Dei ciuitatem reuertimur: inchoata semel scelerum tela non cessamus nisi eâ pertexamus. *Cœperunt hoc facere (adificare sc. turrim Babel) nec desisterunt à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Genes. 11.

*Implete mensuram patrum vestrorum.*

Inconstantia & pertinacia in miseris Adæ filiis vtraque grandis; sed in malo pertinacia longe maior, quam cōstantia in bono, eamq; sæpe mutamus propter motiua minora, imo etiam *motu proprio*, nō moti nisi à nobis, bonum propositum in vitiosum cōuertimus, quasi vitia nobis naturalia sint & essentialia, aut inseparabile accidēs, aut insita & conclauata nostræ animæ. Virtutes autē nec in nobis radicem à natura habeant, aut accidēs tantum sint sine difficultate separabile; nō insertæ, nec clavis infixæ animæ, sed paruulis tantum affixæ asciculis: quasi vitia, basis firma sint, cubus, & perfectum vndique quadrum, vt inde nunquā excidere possit qui semel ei institerit. Virtus contra rota, qualem fortunæ affingunt, lubrica, versatilis, cui nemo sine lapsu diu insistat: quasi vitia & Satan plus pulcritudinis, plus commodi, plus vtilitatis ac voluptatis habeat, quā Deus & virtutes; quas tamen vt par est, amare nō possumus, nisi verā ipsarū speciē semotis obuolucris, gloriosis & beatissimis oculis

Quintil.  
lib. 12. in sti.  
cap. 10.

inspexerimus; aut Pictor aliquis adeo accuratus, vt Dionysius Antropographus dictus, qui nihil vnquam nisi facies humanas pinxerat; aut sculpro aliquis versatior Phidia (*Diis, quã hominibus efficiendis melior artifex traditus*) nobis eas quam optime in naturali specie repræsenteret, aut in tabula aut in statua depingat. Deus bone quanta in bono & virtutibus nostra apparet instabilitas? cum nihil sit tam modicum, tam tenue, nec digiti attactus, nec leuis afflatus, nec tam fragile filum, quod nos ab ea non facile abducat. Adam morsu pomi illectus eam destituit. Esau pulmento modico primogenita sua postposuit. Iudas & denariis Dominum suum prodidit. S. Petrus cubiculariæ ancillulæ minis eundem abnegavit. Exiguo scilicet verbo, & primo occurrentis alloquio, & nos vnico pulchri ocelli obrutu, vnico crispantis capillij crine attracti, aut galero, aut pericelide, aut vaporatis & suaue spirantibus odoratis vestibus, rebus nihil, in impudicæ mulieris potestatem concedimus. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum & in vno crine colli tui.*

Cant. 4.

Cant. 1. ] *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Nihil opus nisi leui aura, ac modico tentationum ventulo, & ecce de summo virtutum culmine precipitatur. Paruum scandalum, paruulum ad mala exemplum, & ecce omnia bona opera intermittimus. Heu in bono inconstantia! Contra, centum diuinae inspirationes, mille conciones, vehementissimæ nervosissimæ quæ fieri possunt, sexcenta exempla bona, tantus bonorum hominum numerus, à peccato nequeunt nos abstrahere, & ad virtutem adducere. Ah grandem in malo pertinaciam! in ciuitate Dei deserenda, bonis omittendis, malo agendo, omnes confestim parati imus, currimus, volamus, etiam alatis pedibus, aut Pegasos ascendimus ac Belierophontes, sine deliberatione, sine consultatione longa; sed vt exeamus à ciuitate Diaboli, vt desinamus à malo, & faciamus bonum, testudine & cancro sumus

sumus tardiores, & acceleramus iter quasi lassum  
curru iungentes bouem.

*Abnegat incepto, & sedibus haret iisdem.*

Virg. 2.

Æn.

Simoturi sumus pedem, antequam incipiamus,  
centum conuocantur consilia, centum instituuntur  
deliberationes, replicæ, duplicæ centum, antequam  
quicquam resolua tur. Dicimus in bono *Deliberandum* Cicero.  
*est diu, quod statuendum est semel.*

D. Bernard. in illud ecce nos reliquimus omnia,  
&c. ] *Quantos mundi sapientia maledicta supplantet, &  
conceptum in eis extinguit spiritum quem voluerat Domi-  
nus vehementer accendi? Noli (inquit) precipitanter agere,  
diu considera, diligentius intue re. Magnum est quod propo-  
nis, & opus habens multa deliberatione. Experire quid pos-  
sis, amicos consule ne post factum pœnitere contingat.*

Si ad male agendum accincti sumus, nihil cursum  
nostrum inhibuerit: non Chaos, non interiecti mon-  
tes, non obuij exercitus, omnia possibilia meditati  
malum; sed enauigaturi ad bonum, nihil nos nõ im-  
pedit. Omnis ventulus ad portum vnde egressi sumus  
nos repellit. Masca remora pisciculus minimus qui  
Græcis (*εχωνις*) sentinæ nauis nostræ adhærescens,  
statim inhibebit cursum, vt olim Periander Tyran-  
num, etiam si iam in alto simus, & passa secundo tur-  
geant vela vento: soli parentis sepultura, adolescen-  
tem ac Christum sequeretur detinuit. Vbi festinato  
opus, ac obfirmatione animi ibi cunctatores sumus  
& corhurni: vbi deliberatione longoque tempore, ac  
plumbeo quasi incedendū pede, illic statim nos præ-  
cipitamus, consilium in arena, sententia prompta,  
*nihil est medium.* Non diu hæret Israel, vt ad idolola-  
triam transeat.

Exod. 32. ] *Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis,  
fueruntque sibi vitulum conflatilem quem adorauerunt.*

Galat. ] *Miror (Galata) quod sic tam cito transferimur,  
ab eo qui nos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euang-  
gelium: quod non est aliud.*

*Ipsi currebant, & ego non mittebam eos.*

*Pedes eorum in malum currunt.*

L 3 *Velo-*

Luca 24.

*Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*  
 Contra dicit Apostolus, *o stulti & tardi corde ad credendum.* Diu subsistebant antequam Christi resurrectionem crederent. Cum plures malint persistere in vitiis, obstinatione diabolica, quã mutabilis humana sententiam partesque mutare, quam primum errorem suum reprehenderint, *labi, errare, deo peccare humanum est, perseverare diabolicum.* Quid etiam Deus pœnitere se dicit quod fecerit hominibus ideoque generali diluio omnem carnem se aboliturum. Dicit aliquoties se facturum pœnitentiam, super malo quod cogitabat facere populo, si populus de sua pœniteret malitia; & tu hominibus, ita cerebrosus, ita tui eris sensus, ut errorem agnoscens non corrigas? partem te malam fouere vidēs, non desistas? tu nihil dicere, nihil facere voles, contra imaginationes & fantasias primas, pertinaciã putas constantiam, & inconstantiam cum ætate proficere. *Virtus est mediū vitiorū vtriusque reductum.* Virtus inter vitia mediat, cognata extremis. Cōstantia nō est nunquã, nullaque de causa mutare propositum, sed peruicacia: constantia, persistere in bono, bene incipere, bene finire. Nec inconstantia est oportunè suoque tempore variare, sed prudentia, quæ aut corrigit præuiã inconsiderationem, aut sapienter rebus se accommodat.

Horat. lib.  
5. Epist. 18.

Cicero lib. 4. Ep. fam. Ep. 21. ] *Tempori cedere, id est, necessitati parere semper sapientis est habitum.*

Idem lib. 5. Ep. 21. ] *Quauis tuta conditione pacem accipere malui quam viribus cum valentiore pugnare. Stultum, nihil aliud, quam contra stimulum calcitrando se reuertendo fatigari.*

Leotychidas quidem redargutus quod parum cōstans videretur in negotiis, *maior (inquit) sed pro temporum ratione non ut vos.* Prudens enim est priore nata mutare consilia: sine causa autem subinde alium fieri, *inconstantia vitium est.* Noster itaque Prodigus sicut prius sic & postea egit humaniter. Fragilitati humanæ fuit ita relinquere paratam, ita male vixisse ita Deum offendisse, & homines. *Peccavi in calum*

corat

coram te: publice ac secrete offendi inquit. *In calum & secrete aliquando nemine nisi Deo conscio, & coram te.* Ecce publice coram teste, & non sine scandalo: perpotatus ut Templarius, luxuriatus ut Sybarita, cultus adornatusque ut Milesius, seruiens mulierculis ut Cyprius, aut Corinthius: omnia hæc humanæ fragilitatis, hoc quidem ferendum aliquo modo est.

*Persuasit nox, amor, vinū, adolescentia.* Humanum est.] Melius quidē hæc aliter. Quis dubitat? Sed humanæ fragilitatis sunt: rariora in alicuius, in aliis crassiora frequentioraque. Virum tamen se probavit, & prudentem, quod *in se*, aut *contra se reuersus*, animū partemque mutauit: iam plane aliter quam ante statuens. Primum, partem deseruit iniquam, quam stulte fuerat securus, *reuersus*; abdicauit militiam & diaboli ciuitatem, recipiens se ad partem oppositam, & Dei ciuitatem; & contra priora instituta deprimauit. *In se*, vel *contra se reuersus* quamprimum suum persensit malum, declinauit ilico, & quod prudentis erat viri egit, non pertinax sicut Diabolus, nec obstinatus, in peccato, flocci faciens pro Deo ac salute nomen accipere incōstantis, mutabilis, profugi. *Neq; in hac neque in illa parte fidem habentis*, Nonne constans factus est? qui primum mente conuersus solum, *in se*, vel *aduersum se reuersus* (*sententia mutata scilicet*) non destitit a proposito, donec intellectus & ratio idem etiam persuaderēt, & acceptabile fierent voluntati. Constans fuit, quia non contentus bono iudicio, bono desiderio, bono proposito. (*Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, ut non peccem tibi*) quibus mercibus infernus secatet; sed eadem opere perficit, ac bonam voluntatem impleuit. *Et surgens venit ad patrem.* Virum se ostendit, quia confiteri proposuit, dicens: *surgam, & dicam: Pater peccaui in calum.* Inf. per etiam de facto confessus est. *Et surgens venit ad patrem, & dixit: Pater peccaui.* Generosus adolescens tam in exequendo bono, quam proponendo. Sequamur igitur eius formam pœnitentiæ, qui sequuti sumus modum delicti. Hic meæ dictionis scopus.

Terent. in  
Adelph.  
Act. 3. Scen.

Salust. Ho-  
rat. in Cice.

## II.

*Duo requisita ad faciendam pœnitentiam, quæ in nostro fuerunt Prodigio.*

**V**ENIAMUS modo ad praxin pœnitentiæ ipsius. In se vel contra se reuersus, dixit: Factus ex sui amico sibi hostis, dixit. Audistis (& si minus clare) duo hic de ipso dici. Primum, quod sit reuersus, quod parti renuntiauerit. Secundum, quod partem alteram elegerit, ac concertarit, impugnaueritque illos quibus illuc vsque seruiuerat. *In se, vel contra se reuersus.* Sequestratus à causa mala, non satis habuit neutras partes sequi, & arma ex pariete aut trunco suspendere, vt tibi araneis vestiatur; sed partem elegit priori plane contrariam. *Contra se reuersus.* Sibi obuertit frontem, sibi armatus occurrit hostiliter. Quam belle, quam bene, dilectissimi; nam in vera pœnitentia duo hæc iungenda sunt, vt sic coram Deo duas compensemus malitias, quæ in quolibet insunt mortali peccato: auersionem scilicet à Deo, & conuersionem ad creaturas. Theologi enim peccatum mortale communiter definiunt. *Peccatum est auersio à summo & incommutabili bono Deo, & conuersio ad bonum commutabile, creaturæ.* Nam & illæ quidem bonæ sunt, Deo iudice, qui cum creata lustraret omnia, vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Non tamen ex seipsis bonæ, ac immutabiles, sed solum participatione diuinæ bonitatis: vnde peccatum est amor sui vsq; ad contemptum Dei. Duæ hæc malitiæ in peccato vno, apud Ieremiam clarissime designatæ sunt, hisce verbis. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Duo mala. Me deseruerunt fontem vitæ naturalis, gratiosæ, gloriosæ, vnde enim anima nisi à me; vnde gloria, aut quæ gloria bonorumve præmium, nisi ego! Ego sum protector tuus Abraham: & merces tuâ magna nimis. Item gloria virtutis eorum tu es. At illi cisternas foderunt dissipatas, rimosas, pertusas, quæ aquas non continent. Cisternæ ipsorum aqua

*Genes.*

*Ierem. 2.*

qua carent, aut si aliquam habeant ea pluuia est de-  
ducta canalibus, aqua mortua, & vt plurimum cor-  
rupta. Apud me scaturigo est, & vena aquæ viuæ, fons  
inexhaustus: nihilominus ita populus meus stultus  
est, vt aquæ viuæ mortuam præligat, riuulum fonti.  
*Va peccatori ingredienti terram duabus viis.* Obuertens  
Deo tergum, cui deberet obuerrere vultum. Deseñtēs  
faciem illuc quo deberet obuerrere humerum, ad  
creaturas scilicet: vnde Deus genti peccatrici mina-  
tur suo tempore reddere vicem. *Dorsum & non faciē o-*  
*fundam eis,* id est, repellam eos plane, indignos ama-  
ri. *Auertente autem te faciem turbabuntur, & in pulue-*  
*rum suum deficient,* recidentes iterum in nihilum. *Psal. 103.*  
Plane sicut in speculo accidit, vbi quam primum fa-  
cies obiecta subtrahitur, species repræsentata eua-  
nescit. Dicitque Dominus noster, quod abacturus  
sit damnatos à sua facie, dicens: *Ite maledicti, retro, re-*  
*tro me. Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* par pari *Eccl. 33.*  
*hostimentum hostile.* Vt igitur Deus per veram pœni-  
tentiam concilietur, duobus hisce malis, duo oportet  
facere, his opposita bona duo contra duo, obuerrere  
tergum creaturis, ac nobis ipsis; frons  
Deo; ei exhibendus lætus vultus; nos ipsos debemus  
odisse, & quicquid nos male illexit ad se: Deum ama-  
re, & quicquid nos ad Deū deducat. Hæc duo Chri-  
stianæ iustitiæ officia, tantopere à Prophetis nobis  
commendata, vt bene cum Deo transigamus. Isaias *Isai.*  
inter alios dicit: *quiescite agere peruerse:* id est, Dorsum  
aduertite creaturis, & vobis ipsis, ac dein *discite bene-*  
*ficere.* id est, faciem ad Deum conuertite, ipsum ama-  
re, ac bene agite. Ipse etiam Propheta Dauid. *Declina* *Psal.*  
*in malo & fac bonum.* Nonne hoc noster fecit Prodi-  
gum: Nōne dorsum obuerrit creaturis, ciuitati, ac syn-  
agoga Satanæ, ac toti suæ parti; *reuersus* inquit tex-  
tus. Deinde nonne & bonum fecit, contra se digla-  
dians, contra prima instituta, *in se,* aut *contra se reuer-*  
*sus.* Arma in priorem partem tulit, omnem in eam  
hostilitatem exercuit, amans Deum quem antea o-  
derat, exosus Diabolum, mundum, & carnem, quos

male amauerat : Vigilantior iam ad reparandum, quam antea ad destruendum ; animatior ad defendendam rationem, contra sensualitatem, quam prius ad fouendam sensualitatem, contra rationem ; impura tantum, aut simplici vsus apostasia ac defectu, quæ ordines & signa deserit, non hostibus se uigil: nequaquam : sed defectione sua perduellione ac rebellionem quantum potuit auxit, ut priorum partium statum euertat, ac Dei partes consolidate Pulchra huius Iuuenis pœnitentia: propria enim est pœnitentiæ admissorum displicentia, & libera ac densque voluntas, ut quæ facta sunt ( si possibile esset ) infecta forent: siue bona siue mala ea sint: ( pœnitet enim aliquando bene egisse ) siue dolore carere: ( sicut in beatis & ipso Deo, quem pœnituit fecisse hominem tempore diluuij, siue molestia tamen;

*D. August. lib. Confess.* pœnitet & non dolet, inquit S. Augustinus) siue dolore misceretur, sicut in nobis uiatoribus hic accidit, quibus pœnitere, uere est ( iuxta S. Augustinum ) pœnitentiam tenere: & pœnitet me, est, quasi dicas pœnitentiam tenere, ac doleo hoc aut illud esse factum. Et iuxta Magistrum sententiarum: pœnitentia dicitur à puniendo, quia quis punit illicita quæ commisit, Pœnit enim ueteres pro pœnitentia dixerunt, ac forte etiam melius quam nunc pœnitentia: unde enim uox pœnitentia.

*Mag. in 4. sent. dist. 4. §. A.*

Sed unde monstrabo melius mihi quod feci displicere, quam detestando, deplorando, uellendo capillos, tundendo pectus, aut etiam destruendo quod factum est, aut faciendo factis plane contraria. Detestari factum, uel ore ( ut plerique pœnitentes ) aliquid est: uel corde ( ut omnes facere debent, qui salutariter pœnitere uolunt ) aliquid etiam est amplius; Adeo ut sine hoc omnia alia non sequantur, aut si sequantur, non profint suspiria: ( speciatim quando cum Deo nobis negotium est, qui magis uoluntates quam opera gestusque inspicit, *sed dicitur corde uestra, & non uelimenta uestra.* ) Si stratur lauatur lachrymis ( ut fecit Dauid ) aut Christi pedibus rigentur ( ut fecit Magdalena ) pectus instar in-

*Ioel.*

distundatur ( vt fecerunt Publicanns in templo , & Centurio , reuertens a Caluariæ monte ) magna sunt veræ poenitentiaë indicia ; sed irritare præterita , ac facere plane contraria , multo maius est . Vt cum Deus homines diluuiò perdidit , nonne mirabile fuit poenitentiaë indicium ? Quãdo figulo vas figulinum omnino displicet , aut male tornatum , aut aliquo deprauatum casu , confringit statim , ac in primam massam reducit . Cum dolet aliquis librum se cõposuisse notum , aut locum aliquem male tractasse , nonne exurit , nonne discerpit totum librum , aut spongia delet , quicquid male sanum est . Hoc Ouidius suis se ait fecisse operibus . *Emendaturus ignibus ipse dedi.*

Quando Claudius aliquis nuptias suas cum Agrippina dolet , suspiriis quidem illud indicat , & planctu ; multo tamen clarius si faciat diuortium , ac soluat matrimonium . Sic certo intelligimus animæ veram de peccato poenitentiam , cum contraria operari incipit , & quæ in præteritorum destructionem vergeant . Thais scortum Ægyptium , de salute per Abbatem Pafnurium monita , verbis quidem & lachrymis prodere potuit poenitentiam ; multo tamen perfectius , cum colligens omnia quæ corporis questu quæsiuerat , simul totum in ignem iniecit ex prostibulo suo , vbi tanto tempore corpus hominibus , Diabolo animam sacrificauerat , transit ad monasterium ; vt pro ratione in posterum totum se Deo offerret in holocaustum . Sic pristina destruere , est veram poenitentiam testari . Secundo quando quis ægre facit iis qui sibi displicent vt si alias amauit aliquem , qui mihi propter ingratitude[m] aut alia de causa displicet , peius eum nunc odi quam vnquam amauit , ferro flammaque eum persequor , pro cuius defensione alias periclitatus sum vitam . Quædam enim sunt quæ quidem omnino destrui non possunt ( nam facta non possunt esse infecta , nec dicta indicta ) quales sunt virtutum & vitiorum actus ; sed tamen opera , vota que fieri possunt iis tam contraria , vt ex illis facile intelligatur , quod tanquã non facta habeantur .

No-  
ster

ster ergo Prodigus in se vel contra se reuersus operam dedit vt quæ peccauerat iterum destrueret, & virtutum exercitiis alius esset. *Verte impios & non erunt.* Quantum ad hæc igitur, perfectam fecit pœnitentiam Ita enim & omnes Sancti pœnituerunt. In & Moses, totius populi idololatrici nomine, in pulvrem redigens & exurens vitulum aureum, quem absente conflauerant, coniecit eum in torrentem, & totum inde iussit bibere populum: non quidem (vt aliqui volunt euenisse diuinitus) vt culpabiles, inharrente mustacibus auro, hoc signo proderentur: sed annihilare volens vitulum, omnemque absumere

*Pet. Comestor cap. 73. in hist. Exodi.*

*Exod. 32. In Caligula Sueton. cap. 20.*

*Inuen. Sat. 6. de hac a. 7a.*

materiam, ne idoli tam funesti vllum relinqueretur vestigium: *Arripiensq; Moses vitulum quem fecerat combussit, & contriuit vsq; ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo in potum filiis Israel.* Vltus fere eo pene genere, quo ad aias Lugdunenses multabantur, qui in instituto à Caligula Imperatore, eloquentiæ Græcæ Latinæque certamine, sapius deliquissent, fuerantque inferiores: quos victor cogebat aboleri scripta, & spongia vel lingua eluere; nisi mallent sentire ferulas, aut in vicinum præcipitati flumen. Sic & S. Paulus in prima ætate contra nouellos Christianos, ita digladius vt leunculus, sanguinem sitiens Christianum, & præludia dans, vt ex vnguiculis qualis futurus esset, adultus cognosceretur; custodiens vestimenta lapidantium S. Stephanum, & eruentissimo pascens oculos spectaculo. Postea roboratior leo prædabatur, & sicut leones, qui in martyres alebantur, non expectabat donec lacefferetur, aut irritaretur in Christianos; sed ingessit seipsum, instigans Principes, & Sacerdotes Synagogæ, tanquam nimium clementes, nimium coniucentes in sectam nouam; quem voluntarium appellare possemus carnificem. *Petit à Principe Sacerdotum litteras in Damascum persecutans ciuitates, vicos, pallatia, domos: ut si quos inuenisset via huius viros.*

*Actor.*

Blasphemus & persecutor Christi nominis. Quando pœnitentiam agere cœpit, fulminatus de celo.

pro-

prostratus ex equo, institutus ab Anania, armatus, in  
 ipsum conuertit stylum; negans quæ affirmara, af-  
 firmans quæ negarat. *Affirmans quoniam hic est Chri-*  
*stus.* Pugnans pro Ecclesia contra Synagogam, cala-  
 mo scilicet & lingua, vera religionis militia. Vbi  
 duos videbat Iudæos, adorat ipse statim terrens, vt  
 Christum doceret, dedoceret Moysen. *Sicut tenebra Psal.*  
*eiusta & lumen eius* Nemo denique Iudæis infestior,  
 Christianis amictor, quam hic S. Paulus: non conten-  
 tus reparasse quod forte prostrauerat, ac destruxerat,  
 iuit in gætes, peragravit Asiam, Europam, inuisit Ro-  
 mam, vt S. Petrum parando ac subiugando Christi  
 legibus orbis imperio intèrum, auxilium ferret. Fun-  
 dator iam est defensor religionis Christianæ magis,  
 quam vnquam impugnator & direptor. Sic ipse pœ-  
 nituit. Sic & Christus S. Petrum facere docuit. Præci-  
 piens, *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Si  
 modo Caluinus aliquis ab inferis resuscitaretur ad  
 poenitentiam, an alia putatis acturum? Reuersus ad si-  
 num Ecclesiæ, nisi errores suos anathematizaret, de-  
 prædicaret, retractationum libros scriberet, non fa-  
 ceret nisi dimidium eius quod noster fecit Prodigus.  
*reuersus solum, non in se, aut aduersum se.* Et quis nouit  
 an non hinc vna pœnitentiæ integralis pars appella-  
 ta sit contritio? non tantum cordis ac voluntatis re-  
 spectu, sed etiam propter hunc effectum conterendi,  
 ac constringendi comminuendique in puluerem, id  
 est, contrariis operibus annihilandi, peccata præteri-  
 ta. Quidni?

## III.

*Virum aliquando liceat deserere partes.*

Ed interrogabit aliquis, an satis honestum muta-  
 re partes, iam has iam illas? hodie stare pro Pom-  
 peo, cras pro Cæsare; hodie pro Cicero, cras pro  
 M. Antonio? Videri posset quod non. Chilon vnus ex  
 septem Græciæ Sapientibus dicere solebat, omnia *Stob. ser. de*  
 tarde suscipienda & consulto; post consultationem *prudencia.*  
 autem constanter perseverandum. Socrates virum *Idem ser. 2.*  
 bonum

Luca 9.  
Genes.

Stob. ser. 12.

Psal. 1.

bonum dicebat firmum esse in proposito, quasi statuam in basi: Et quid aliud seruator noster intendit, dicens non esse aptum regno Dei, qui manum mittens ad aratrum respiciat retro, sicut vxor Loth verum statuam salis? Et si malum est simplicem fallere permissionem, quanto magis iuramentum & sacramentum obstrictam fidem? Themistius dicere consuevit peridia nihil plus humanis rebus officere, quam cauius esset impossibile. Perfidus enim dicebat iuramentum abutitur, quæ unicui nostrum possunt esse refugium. Exempla denique Gentium satis ostendunt honestum non videri mutare partes: inter alia: Centurio Augusti Cæsaris, cui nomen C. Meuius, qui comprehensus, & adductus ad M. Antonium, rogatusque ab eo qua ratione à se transiret: Caput (inquit) mihi præcide: non enim siue vitam dederis, siue abstuleris, tuus vnquam ero, ac desinam militare Cæsari. Laudabilis constantia: quæ cum prædictis satis videtur declarare perstandum in cœptis. Sed quid? Quid dicemus ad verba Dauidis, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra petulentiæ non sedit?* Vbi permittere videtur, non semper iisdem adhærere partibus. Quid dicemus ad nuper allata? quod viri prudentis sit, pro temporis necessitate mutare sententiam. Respondeo habendum respectum belli partisq; quam sequimur; vtrum æqua, iniqua, an indifferens. Si bellum iustum, nunquam licet illud deserere, vt contra pugnetur. Si iniustum, non solum non peccamus nos subtrahendo, sed peccamus perdurando.

Cicero 1. Offic. ] *Iam illis promissis non standum esse, quis non videt, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit.*

Idem dicere voluit S. Isidorus *in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum.* Etiam mille obstrictus iuramentis, ac sacramentis militaribus Male fecisti iurando, non peccas non seruando. Grauius peccauit Herodes, iurans saltatriculæ dare in disco caput innocentis; peius fecit etiam præstans

Quo

Quod si pars nostra indifferens sit, ac iustitia causa, verimque æque dubia, videtur subditus, data maxime iurataque fide, debere seruire ruerique locum, & esse inuariatus. Sed pars quam noster tam diu sequutus est Prodigiis, notorie erat iniqua: quo enim iure Satan, aut homo, contra Deum militat? Potuit igitur, imo & debuit, transire ad Dei partes, & bellum in se ac Diabolum cōuertere. Sed exinde iam partem mutare ipsi non licuit, sicut nec fecit: quia posterior causa erat iusta, à qua ne deficerent martyres, acerbissima omnia tolerarunt. Oremus igitur Deum dilectissimi. Primum vt in iuuentute suis consiliis nos ad partem bonam deducat, ac deinde, vbi eam elegerimus & acceptauerimus, nunquam eam commuremus. 3. Si destituti Diuina luce error nobis obrepserit, & in militiam Satanæ ac Diaboli ciuitatem, contra Deum, cum hoc Prodigio incidimus, contra nos ipsos, & inordinatos appetitus; ac gratiam nobis donet, vt ita sub signis eius militemus, vt laureas æternas consequamur. Amen.

Ite in pace.

CON-